

illa potestas non se extendit ad faciendam regulam sacris canonibus contrariam, qualem putat esse hanc constitutionem, ideo accurate hoc distinguendum est.

5. *Lex inferioris dupliciter potest esse contraria juri superioris.* — Unde argumentor tertio, quia hoc statutum non ita est juri communi adversum, ut propterea censendum sit reservatum Pontificiæ potestati; ergo nulla ratio est cur non potuerit a generali Congregatione fieri. Consequentia evidens est, ex argumento proxime facto, et ex fundamento Navarri, et quia non potest alius coloratus titulus hujus impotentiae excogitari. Antecedens vero declaratur ex quadam doctrina communi in materia de jure naturali, quam attingimus in lib. 2 de Legib., c. 14. Dicunt enim doctores dupliciter posse legem inferioris esse contra jus superioris: uno modo positive, alio modo negative tantum; seu uno modo contra jus prohibens, alio modo contra jus concedens, seu non auferens aliquid, ut, verbi gratia, stando in jure naturæ, dicuntur omnia bona externa esse communia, quia auctor naturæ ita illa concessit, nec divisiones fecit, non tamen fieri prohibuit [per hominum voluntates, et ideo proprietas rerum seu dominiorum, licet dici possit negative contra jus naturæ, quia per illud introducta non est, non tamen dici positive contraria, quia per illud non est prohibita. At vero propria auctoritate hominem in captivitate redigere est contra jus positivum, quia libertas unicuique data est ut proprium bonum, quod violenter auferre ipsum jus naturæ prohibet. In præsentibus ergo statutum hoc dici potest contra jus commune *negative*, non tamen *contrarie*; quia jus commune et canonicum non facit inhabiles ad religionem hujusmodi habentes defectum originis. Nullum est tamen jus canonicum quod præcipiat eos esse habiles ad omnem religionem, seu quod prohibeat eos excludi ab aliqua religione; nullum enim tale jus Navarrus affert, neque opinor afferri posse. Statutum ergo positive contrarium juri communi non potest fieri per inferiorem Summo Pontifici, ut bene probat Navarrus. Probabile etiam est generalem clausulam, per quam datur potestas a Summo Pontifice ad condenda statuta, non extendi ad statuta positive contraria juri communi, quia juri communi non derogatur per generalia verba, nisi id simpliciter necessarium sit ut habeant convenientem effectum; est enim illa potestas quoad hoc odiosa, et ideo restringenda. At vero statutum, quod solum

negative est contrarium juri communi, fieri potest per potestatem inferiorem Summo Pontifici; magis enim repugnat statutum valere contra jus naturale, quam contra humanum superioris Prælati; ergo, si statutum, solum negative contrarium, juri naturali potest esse contrarium, multo magis negative contrarium juri canonico. Ratio vero a priori est, quia tale statutum non est contrarium voluntati Pontificis, nec legi ejus; ergo ex illa contrarietate non est invalidum. Unde in rigore illa non est contradictio, seu oppositio, sed additio vel effectio alicujus moralis effectus, quem Pontifex lege sua facere noluit, non prohibuit autem fieri ab habentibus potestatem. Ex quo a fortiori sequitur, sub generali potestate datæ a Papa ad condenda statuta, includi illa, quæ, cum alias honesta sint, non sunt positive contraria juri communi, etiamsi negative dicantur contraria, quatenus aliquid auferunt vel irritant, quod jus commune non aufert, vel irritat, quia per hoc nihil derogatur juri communi, nec talis potestas odiosa est, et ideo non est restringenda, sed potius amplianda, tanquam principis beneficium.

6. *Discrimen inter admissionem ad religionem, et ad ecclesiasticum beneficium.* — Primum ergo fundamentum Navarri in num. 3 ex dictis manifeste solutum est. Secundum autem parvi est momenti; nam, licet solemnitas voti quoad illos effectus legales, in quibus ipsa consistit, sit de jure Pontificis, et non de particulari alicujus religionis, nihilominus particulares conditiones necessariæ ad tale votum emittendum possunt ab unaquaque religione, juxta modum sibi convenientem, sanciri, et in his aliquid addere, quod jure communi requisitum non sit, et nihilominus in tali religione sit necessarium ad professionis vel receptionis valorem. Quod probo ad hominem, evidenti exemplo; nam jure communi solum est necessaria ætas sexdecim annorum ad faciendam validam professionem, et nihilominus potest aliqua religio statuere, ut in ea non fiat, usque ad decimum octavum, vel vigesimum secundum annum, et antea facta valida non sit, ut est communis sententia, quam præcedenti tomo, tractando de professione in genere, probavi, quamque ipse Navarrus manifeste ut veram supponit, consil. 24, de Regul., quod incipit, *Quinque quæstiones*, in quæst. 2. Ratio vero reddi potest, quia, licet status religiosus in genere non postulet hanc vel illam conditionem in his qui ad illum recipiendi sunt, ut convenientem ad com-

munem finem illius status, fieri tamen potest ut ad finem illius status determinati ad tale institutum conditi illa moraliter expediat; ergo oportet ut talis conditio per aliquod jus statui possit; non potest autem hoc pertinere ad jus commune, quia illud (ut ipsum nomen præ se fert) commune est omnibus religionibus; ergo necesse est ut in religione sit potestas ad tale jus proprium et speciale condendum. Nec oportuit semper hanc potestatem in particulari a Pontifice postulari; nam si alia, quæ ad religionis regimen spectant, per generalem concessionem commissa sunt, cur non etiam hæc potestas? Accedit etiam alia ratio, quod nimirum potestas recipiendi in tali religione, et acceptandi professiones et vota, per se primo est in tota hac religione; et ipsa potest ampliari vel limitare potestatem suorum Prælatorum circa hujusmodi actum; ergo potest limitare hanc facultatem ad personas habentes tales vel tales condiciones, quas rationabiliter judicat sibi convenientes, ita ut illa potestas ad alias personas non extendatur, sicut declaravimus posita esse in Societate quinque prima impedimenta jam explicata. Unde etiam intelligi potest quædam notanda differentia inter admissionem ad talem religionem, et ad beneficium ecclesiasticum, ut canonicatum, etc., a quibus etiam videtur Navarrus sumere argumentum, quia Episcopi, vel Ecclesiæ particulares non possunt circa hoc simile impedimentum sine approbatione vel confirmatione Pontificis ponere. Est autem ratio diversa, tum quia religio habet quasi antecedentem concessionem et confirmationem Apostolicam per generalem clausulam supra, n. 3, allatam, quam alii fortasse non habent, et qua citatus Sancius contentus esse videtur; tum maxime quia beneficia ecclesiastica sunt veluti communia bona Ecclesiæ, quæ ex vi suæ institutionis communi quodam jure distribuenda sunt, et ita nemo potest excludi ab eorum participatione, nisi auctoritate universalis dispensatoris talium bonorum; in admissione autem ad religionem ipsa distribuit, seu communicat (ut sic dicam) quoddam bonum, sibi quodammodo proprium, scilicet, societatem suam, seu unionem secum, et ideo talis boni communicatio ad ipsam specialiter pertinet; potest ergo illud communicare quibus sibi expediens judicaverit, et non aliis. Denique, si hæc receptio consideretur ut contractus quidam inter religionem et conversum, etiam ex hoc capite liberum est religioni contrahere cum his conditionibus, et

sine illis nolle, ut contractus validus sit. Unde nihil etiam obstat quod de impedimento canonico inhabilitante dicebatur, tum quia hæc personæ non sunt positive habiles jure canonico, sed tantum negative, id est, per illud non factæ inhabiles, et hoc modo ad addendum impedimentum præter jus canonicum non semper est specialis potestas Pontificia necessaria, sed generalis concessio sufficit; tum maxime quia hoc impedimentum non necesse est intelligi ex parte personæ recipiendæ, irritando illius consensum, ad quod forte necessaria est major potestas; sed hic sufficienter intelligitur ex parte religionis, quia ipsa non vult præbere consensum suum, sine quo talis contractus validus esse non potest.

CAPUT III.

QUÆ PROBATIO ANTECEDERE DEBEAT, QUÆVE CONDITIONES SERVANDÆ SINT UT ALIQUIS CONVENIENTER IN SOCIETATEM RECIPIATUR?

1. *Generalis resolutio hujus capituli ex instituto Societatis.* — Potest hoc inquiri tam ex parte ingressuri, quam ex parte habentis potestatem admittendi illum; et quod utramque partem sufficienter provisum est in Constitutionibus Societatis, in prædicto Examine, c. 3 et 4, et in 1 p. Constitutionum, c. 3 et 4; unde unico verbo respondere possemus, si ea omnia serventur, quæ ibi præscribuntur, satisfactum iri interrogationi propositæ quoad utramque personam. Ut tamen breviter ostendamus quam sint illa, et antiquitati Ecclesiæ, et rationi consentanea, ea breviter perstringemus; et primo declarabimus obligationem ex parte Societatis, et inde facile constabit quid de ipso petente admitti dicendum sit.

PRIMA CONCLUSIO.

2. *Confirmatur Patrum testimoniis.* — Primum ergo, ut hæc receptio debite fiat, diligenter curandum est ut intelligatur an persona habeat dotes naturæ et gratiæ convenientes huic instituto, juxta aliquem gradum ejus, tali personæ accommodatum, et consequenter an habeat plures, aut aliquos defectus, ex his quæ in prædictis Constitutionibus numerantur, et prædictas dotes excludunt, vel notabiliter minuunt. Tota hæc assertio per se est consentanea rationi, quia nihil magis est debitum religioni, nec magis necessarium ad conservationem ejus, quam ut hi, qui reci-

piuntur, apti et idonei sint ad finem talis religionis, ut omnes antiqui Patres religionum docent; et præsertim Basilius, regul. 10, ex fusius disputatis, et regul. 94 et sequentibus, et regul. 107 et 112, ex brevioribus, et optime Bonaventura in quarta parte Opusculorum, in expositione suæ regulæ, q. 10, per totam, ubi ostendit, neque ipsi religioni, neque Ecclesiæ Dei expedire ut omnes admittantur: *Omnes* (inquit) *passim recipere non expedit nobis, neque Ecclesiæ Christi; nobis non, quia variæ sunt conditiones hominum, qualitates et mores.* Hinc etiam Nicolaus III, in c. *Exiit qui seminatur*, § *Verum quia*, vers. *Sed quoniam*, de Verborum significatione, in 6, graviter commendat Prælati Minorum, ne indifferenter omnes admittant ad ordinem, sed eos tantum, qui suffragantibus eis litteratura, idoneitate, vel aliis circumstantiis, possint utiles esse ordini, sibi per vitæ meritum, aliisque proficere per exemplum. Similia habet Martinus V, in suis Constitutionibus, cap. secundo. Sic igitur B. Ignatius, prima parte Constitutionum, cap. primo, § tertio, plurimum referre (ait) ad divinum servitium convenientem haberi delectum eorum, qui admittuntur, et diligentiam adhiberi ut intelligatur quæ eorum sint dotes et vocatio. Ubi in declaratione, lit. C, optime dicit: *Ut par est sollicite cooperari vocationi et motioni divinæ, curando ut augeatur in Societate numerus operariorum vineæ Christi Domini nostri, ita diligenter considerare oportet ne quis admittatur, nisi qui donis illis Dei præditus sit, quæ hoc institutum ad ipsius gloriam ægigit.* Et in c. 2 et 3, magis in particulari dotes, conditiones necessarias, et utiles describit, de quibus statim pauca dicemus. Et c. 4 iterum subjungit: *Nobis in Domino valde persuademus, ad hoc, ut divina et summa majestas ministerio hujus minimæ Societatis uti dignetur, multum referre ut, qui ad eam admittuntur, non solum diu probentur, antequam in ejus corpus coaptentur, verum etiam ut valde noti sint, antequam ad eam probationem admittantur.* Ac tandem p. 10, § 7: *Ut perpetuo* (inquit) *totius hujus corporis bonus status conservetur, confert plurimum, quod in prima, secunda et quinta parte dictum est de turba, et hominibus ad nostrum institutum ineptis, ut ne ad probationem quidem admittantur.* In quibus verbis docere voluit B. Ignatius, non esse homines in Societate recipiendos, solum propter illam augendam seu propagandam, quia bonum ejus, non in personarum multitudine, sed probitate et aptitudine ad ministeria con-

sistit. Quod de religionibus omnibus mendicantibus prudenter admonuit Cajetanus 2. 2, quæstione centesima octogesima octava, articulo septimo, ad 1. Imo in simili id docuit Innocentius III, c. *Cum sit*, de Ætat. et qualit., dicens: *Sanctius est paucos bonos, quam multos malos habere ministros, quia si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam dilabuntur.* Loquitur autem de sacerdotibus, ad quos pertinet regimen animarum, quæ est (inquit) *ars artium.* Unde cum omnibus religionibus hæc animadversio conveniat, maxime est in Societate necessaria, eo quod religio clericorum sit, et ad animarum ministerium instituta. Quare optime etiam illi accommodatur, quod dixit Clemens Papa, in epist. 2: *Melius est enim Domini sacerdotium paucos habere ministros, quam multos inutiles, qui onus grave ordinatori adducant.* Habetur in cap. *Tales*, d. 23, ut omittam eo hujusmodi ministros in majori æstimatione ab hominibus haberi, quo rariores sunt, juxta illud Hieronymi: *Quod rarum est plus appetitur, diaconos paucitas honorabiles, presbyteros turba contemptibiles facit*, c. *Legimus*, d. 43, ex epist. 85, ad Evangelium. Sic etiam referunt solitum esse B. Franciscum dicere: *Utinam fratres mei essent adeo parvi, ut quando homines viderent illos, mirarentur*¹. Denique hoc etiam illud confirmat, quod multitudo sine delectu congregata, quod B. Ignatius turbam vocavit, non potest convenienter et cum fructu totius corporis gubernari. Nam etiam Aristoteles dixit, 3 Polit., cap. undecimo, plurimorum politiam difficile bonam esse, quia plures ad virtutem ducere arduum est; quanto ergo erit difficilius ad perfectionem virtutis eam perducere, maxime si absque delectu personarum congregata est! Propter quod tandem dixit Bonaventura, q. 19, inter causas, propter quas aliqua religio a suo primo fervore discedit, præcipuam esse multitudinem intransigentium, si non cum magna prudentia recipiantur.

3. Atque hinc tandem nota est assertionis ratio; quando enim persona, quæ Societatem ingredi cupit (in quo eadem proportio est de qualibet alia religione), sufficienter cognoscitur quoad omnes conditiones et qualitates suas, tunc cessat necessitas alterius diligentiae, solumque oportet rectitudinem observare, ut non privato affectu, sed intuitu majoris boni, primum religionis, deinde religiosi, receptio

¹ Corduba circa regulam in introductione, q. 3, refert.

vel fiat vel denegetur; in quo gravis culpa committi poterit vel contra justitiam fortasse respectu religionis, vel contra charitatem respectu conversi, si ex pravo affectu, vel notabili negligentia, aut idoneus repellatur, aut admittatur indignus. Si autem conditio et capacitas personæ cognita non est, imprudentissimum profecto erit, talem personam statim admittere sine sufficienti inquisitione et examinatione. Nam vel admittitur ut, qualiscunque sit, retineatur; et hoc est in magnum religionis præjudicium, ut ex omnibus dictis constat; quod maxime verum est in Societate, propter finem, et gravissimas actiones, quibus incumbit, quia sic facile fieret ut ad suum finem consequendum inutilis redderetur, quod etiam in maximum Ecclesiæ detrimentum redundaret. Vel recipitur ut, si postea minus idoneus reperiatur, statim repellatur; et hoc etiam et ipsi personæ injuriosum est, quia turpius postea ejicietur, quam antea non admitteretur. Religioni etiam hoc esset onerosum, tum propter inutiles labores, et sumptus in hujusmodi personis positos; tum etiam quia non sine nota, et scandalo aliorum fieret tam temeraria receptio et frequens dimissio.

SECUNDA CONCLUSIO.

4. De prima diligentia ex parte Societatis faciendæ, quæ est recipiendæ examinatio. — Secundo ergo principaliter colligo et assero, convenientissime in Societate præscriptas esse duas diligentias ante hanc receptionem præmittendas. Una est examinatio ingredi volentis. Altera est probatio ejus, quæ vocatur prima in hac religione, quia cæteras antecedere debet, et post illam aliæ sequuntur ante professionem; vel etiam dicitur prima, quia est ad primum ingressum. Circa examinationem recolendum est quod supra, initio hujus secundi libri, dixi, hic non esse sermonem de his quæ necessaria sunt jure communi, sed speciali Societatis. Hic ergo non agimus de examinatione, aut inquisitione ex vi Constitutionis Sixti V agenda, quæ novior est quam Societatis Constitutiones, et servanda in Societate, sicut in aliis religionibus, nisi specialem aliquam declarationem, seu concessionem circa illam habeat a Sede Apostolica cujusmodi est illa Gregorii XIV, quæ incipit: *Exponi nobis*. Vel nisi uti velit quacumque moderatione in hac parte alteri religioni concessa; nam id etiam facere poterit per viam communicationis, ratione suorum privilegiorum,

nisi in ipsa concessionem talis communicatio specialiter prohibita sit. Denique inquisitio illa Sixti V, ab aliis personis de ipso converso præcipue petenda est. Hæc autem examinatio, quæ in Societate præscribitur, cum ipso immediate peragitur; ipse enim est qui interrogari debet, et qui se ipsum manifestare, per varias interrogationes cogitur, quæ in dicto c. 3 Examinis fuse proponuntur, et omnes eo tendunt, ut personæ capacitas, naturalis et habitualis dispositio, et actualis vocatio seu conversio probe cognoscatur: ex his enim tribus capitibus maxime pendet dignitas seu idoneitas personæ ad tale institutum. Neque oportet de his interrogationibus plura in particulari dicere, quia res est clara et tantum prudentialis; aliquid vero statim attingemus, declarando impedimenta quæ huic ingressui aliquo modo obstare possunt, quamvis non irritent.

5. Objectio. — *Solvitur primo.* — *Gravis deceptio invalidat receptionem ad novitiatum.* — Dicit vero aliquis, hujusmodi examinationem parvi esse fructus, si nulla exigatur probatio, præter proprium testimonium conversi de se ipso, qui facile poterit (quod humanum est) exaggerare bona, et defectus vel occultare, vel minuire. Respondeo, imo rem esse magni momenti. Primo, quia ipse conversus in conscientia tenetur sincere ac pure veritatem aperire. Nam, eo ipso quod vult quasi pactum cum Societate inire, et ideo examini voluntarie se subjicit, juste interrogatur, et consequenter veritatem aperire tenetur; neque etiam quasi bellum justum ex utraque parte esse potest. Declaratur: nam, si quis cum alio convenire velit in emptione equi, vel alterius rei similis, et ejus conditiones inquirat, quæ ad rem faciunt, et ad suam utilitatem vel commoditatem spectant, tenetur sine dubio veritatem respondere; multo ergo magis in præsentia, quia negotium gravius est, et receptio magis liberalis et voluntaria. Quin potius tantam esse censeo hanc obligationem, ut si quis nimium in hac falsitate excederet, et deciperet religionem in rebus gravioris momenti, et quæ redderent personam prorsus inutilem ad talem religionem, fieret receptio nulla; non quia in tali persona sint impedimenta inhabilitantia personam, sed quia religio decepta in re substantiali non videtur consentire receptioni, quia talis ignorantia involuntarium causat juxta superiori tomo dicta de professione ex ignorantia facta; quando autem deest consensus legitimus recipientis,

receptio invalida est, argumento cap. ultim. cum Glossa, de Regular., in 6. Hoc tamen certum non est. Navarrus enim, in consil. 48, de Regular., quod incipit *Primo quaeritur*, tractans an professio facta, tacito morbo gallico, vel contagioso, nulla sit. Respondet, si religio habet statutum confirmatum a Papa annullans talem professionem, illam esse nullam; si autem non habet tale statutum, attempto jure communi, non esse nullam. Non reddit autem aliam rationem, nisi quia aegritudo etiam mortifera non annullat professionem. Supposito autem quod impedimentum non inhabilitet personam, nullum videtur posse esse majus, nec reddere religionem magis involuntariam, quam similis aegritudo, vel deceptio circa illam; sed hoc in particulari pendet ex judicio prudentiali; nam in generali, dubium non est quin dolus possit esse tantus, ut omnino tollat consensum ad inducendam obligationem, ut in simili dixit idem Navarrus, cons. 46, de Regular., quod incipit, *Herus*, numero quarto, cum Panormitano, in cap. *Cum dilectus*, De his quæ vi. Et ideo dixi debere esse deceptionem in *substantialibus*, quia illa plane tollit consensum, ut in quolibet alio contractu constat. Bene autem addit Navarrus, in priori loco, si talis deceptio sit in re gravi, etiamsi non annullat actum, peccatum esse mortale, propter quod potest Prælatu expellere talem personam a religione, et privare habitu.

6. *Secunda solutio.* — Deinde respondetur ad interrogationem factam, examinationem hanc, aliis etiam rationibus esse valde utilem, tum quia in illa multum cognoscitur persona et iudicium ejus in modo respondendi, et in multis aliis quæ occasione talium interrogationum occurrere solent; tum etiam quia examinatio non semper est simplici interrogatione contentus, sed quantum potest, instare debet, et aliquando etiam experiri an ita sit, quod ab alio respondetur. Denique, quia, licet interrogationes primo fiant ipsi converso, non prohibetur quin ubi oportuerit, major inquisitio et veritatis examinatio fiat, cujus rei occasio ex responsionibus ipsius petentis sæpius sumi potest.

7. *De secunda diligentia, quæ est ipsius recipiendi probatio prima.* — Genus hoc probationis juri et consuetudini antiquarum religionum esse conforme. — Secunda diligentia est probatio ejus qui recipiendus est, quæ in Societate fieri debet, antequam ad communem convictum quis admittatur. Nam, licet

ex prædicto examine nihil resultet quod receptionem quoquo modo impedire valeat, sed persona appareat idonea, juxta ea quæ institutum exigit, non est contenta Societas, sed probare etiam vult, quoad commode potest, an hoc ita sit, et præsertim quoad vocationem, et constantiam ejus; et quoad capacitatem ad spiritualia exercitia, et ad litterarum profectum, vel ad corporales labores, si in eis exercendus sit. Propter hanc ergo causam, in Examine, cap. 1, § 13, statuitur ut recipiendi, hospitum more, ad duodecim vel quindecim dies in loco aliquo separato commorentur, ut ibi probentur, priusquam recipiantur. Quod genus probationis satis consentaneum est tam juri, quam antiquæ consuetudini religionum. Primum patet ex cap. *Si quis incognitus*, 17, q. 2, ubi probandi dicuntur, qui religionem ingredi volunt, antequam ad habitum recipiantur. Idem sumitur ex cap. *Monasteriis*, 19, q. 3. Secundum patet ex Cassiano, lib. 4 de Institutis renuntiantium, cap. 3, ubi refert mirabilem probationem, quæ inter antiquos illos Patres in usu erat. Nam conversus diebus decem vel eo amplius detinebatur, pro foribus excubans, indicium perseverantiæ ac desiderii sui, pariterque humilitatis ac poenitentiae demonstrans, et genibus omnium fratrum provolutus, opprobriis et injuriis ab omnibus tollerantia ejus probabatur. Et ad idem alludit cap. 32, ubi Pynuphius Abbas sic ad quemdam, quem recipiebat, alloquitur: *Nosti quot diebus pro foribus excubans, hodie sis receptus.* Benedictus etiam, in regula, cap. 58, ait non esse facile concedendum ingressum petenti, sed consilium Evangelistæ Joannis, epistol. 1, cap. 4, servandum est: *Probate spiritus, an ex Deo sint*; ad quem finem ait, prius extra monasterium detinendum esse per aliquot dies, et patientiam ejus, tum dilatione, tum etiam aliquibus injuriis probandam; postmodum vero intra monasterium in hospitio esse detinendum per aliquot dies, priusquam ad novitiatum admittatur. Quæ non sunt a mente Basilii aliena, ut ex regula 10, ex fusioribus, et ex aliis supra citatis, intelligi potest, et idem colligitur ex regula Pachomii, c. 26, et ex Joanne Climaco, gradu 4.

8. *Primum hujus probationis genus, et a B. Ignatio commendatum.* — Consentaneum etiam est sacris Canonibus. — Primum autem probationis genus in hoc tempore, quo prima probatio durat, est videre et considerare diplomata Apostolica instituti Societatis, et constitutiones ac regulas, quas unusquisque in ea

est observaturus, ut in prædicto loco Examinis dicitur. In quo duo aguntur. Unum est, ut qui ingreditur, majorem cognitionem et lucem habeat status quem assumit; aliud est, ut Societas magis ac magis probeat constantiam ejus, dum considerata perfectione et difficultate instituti, in ejus amore ac desiderio perseverat. Illud enim B. Ignatius maxime commendatum reliquit, nimirum, ut dispositio et constantia, ac stabilitas ejus, qui ingredi vult, diligentissime inspiciatur et examinetur, ut patet ex cap. secundo Examinis, § 13 et 14; et 1 p. Constit., cap. 3, § 10 et 11. Fuitque consilium B. Basilii, loco proxime citato, et in Const. Monast., cap. 20; et S. Bonaventuræ, in expositione suæ regulæ, cap. 2. Quoniam autem Societas religio (ut diximus) clericorum est, in hoc modo probandi constantiam imitari voluit Ignatius et antiquos Canones, et prisearum religionum mores. Sic enim in sexta Synodo, cap. 2, a promovendo in Episcopum Canones et regulæ, quas in eo munere observaturus erat, legendæ et considerandæ dicuntur, et non prius consecrandum esse Episcopum quam ea se posse et velle servare profiteatur; quod latius etiam habetur in authentica *Quomodo oportet Episcopos, Si detur.* De Episcopis autem ac cæteris clericis sic dicitur in Concilio Carthaginensi III, cap. 3, et habetur in cap. 7, d. 38: *Placuit ut ordinandis Episcopis vel clericis prius ab ordinantibus suis decreta Conciliorum auribus eorum inculcentur, ne se aliquid contra statuta Concilii fecisse peniteat.* Et in Concilio Tolitano IV, c. 25, et habetur in c. 2, ead. d. 38: *Quando presbyteri (ait) in parochiis ordinantur, libellum officialem a suo sacerdote accipiant, ut ad Ecclesias sibi deputatas instructi accedant.* Ubi liber officialis dici videtur, qui obligationes proprii muneris et officii, seu status assumendi, continet, ut Archidiaconus notavit. Quod vero ad religiosos spectat, D. Benedictus, d. c. 58 suæ regulæ, generatim dicit, ut cupienti ingredi res asperæ et difficiles, quas observaturus est, proponantur. Ubi Smaragdus, in Expositione illius regulæ, idem ex Augustino et Isidoro refert. Et sine dubio est per se valde conveniens, ut majori cum luce procedatur, ne genus aliquid ignorantia aut deceptionis possit postea novitium allegare. Propter quod dixit Præposit., in d. cap. *Placuit*, non posse novitium allegare ignorantiam, quando constitutiones et regulæ illi fuerunt specificè declaratæ. (Vide Bart. in leg. ult., ff. de Decr. ab ord. faciend. etc.)

9. *Secundum ejusdem probationis genus.* — Secundum genus probationis ac simul præparationis est, ut ingrediens his diebus in actionibus spiritualibus meditationis ac poenitentia exerceatur, et confessionem generalem faciat, ac tandem sacramentum Eucharistiæ accipiat. Ita habetur in c. 4 Examinis, § 41, et 1 p., cap. 4, § 6. Quæ omnia sancte instituta esse, per se manifestum est; et duos etiam habet fines. Unus est, quia hoc modo probatur capacitas et propensio ad exercitia spiritualia, et corporis asperitatem. Alius est, quia hoc modo simul disponitur ad majorem Dei gratiam, et auxilium recipiendum, ut majori fervore et animi puritate perfectionis statum aggrediat. Unde similis regula de confessione generali præmittenda habetur in definitionibus ordinis Cisterciensis, c. 35, n. 155. Idem etiam consulit Bonaventura, in Speculo disciplinae, c. 4; Turrecr., tract. 128, in regulam S. Benedicti. Et videri potest Alens., 4 p., q. 77, membr. 5, art. 3. Hoc etiam confirmat favor Summorum Pontificum, varias indulgentias et gratias concedentium his qui religionem ingrediuntur, ut sic melius sint dispositi ad auxilium divinum obtinendum, atque ita in Societate conceditur per communicationem ex privilegiis Minimorum, indulgentia plenaria, et omnium peccatorum remissio, ut ex Compendio privilegiorum constat, verb. *Indulgentia*, § 4.

10. *Tertium probationis genus.* — Tertio, solet etiam, qui recipitur, si ad gradum scholarium est dirigendus, probari in his quæ ad doctrinæ et ingenii specimen pertinent, ut constat ex prima part. Constitutionum, c. 4, § 5. Si vero ad ministeria temporalia recipiatur, in his actionibus, quæ ad vires corporis pertinent, diutius probari solet iudicio superioris, juxta varietatem personarum, decenti modo, et unicuique accommodato. Quæ omnia per se sunt adeo rationi consentanea, ut nulla alia ratione vel declaratione indigeant.

TERTIA CONCLUSIO.

11. *Ratio generalis pro conclusione.* — *Conditiones in coadjutoribus temporalibus requisitæ.* — *Conditiones ad spiritualia ministeria receptorum.* — Dicendum tertio est, convenienter postulari et designari in Constitutionibus Societatis dotes, seu conditiones requisitas in his qui ad illam admittendi sunt, et impedimenta quæ aut prohibere, aut difficilem reddere possunt ingressum. Ratio generalis sumenda est ex siue Societatis; nam cum sit